 IOHANNI COCCEJO BERNHARDUS SOMERUS.

Charissime et plurimum reverende D. Præceptor.

Ante aliquot Hebdomadas nullius ferè argumenti literas ad Rev. Tuam dedi. Interim nascitur bona hæc occasio epistolæ mittendæ per amicam manum. Quam ne negligerem, iterum Rev. Tuam per literas compello, quamvis neque nunc magni negotii quicquam sit quod scribam. [Naulum nunc ex conjectura mitto, quæ si me fallat atque illud majus fuerit, divinam oberatus esse simulatque oberatum me esse intelligam. Interim Rev. tuæ magnas habeo gratias.] Verum quia non audeo Rev. Tuam accedere, et non aliquid didicisse, quæ nunc occurrunt, pauca interrogabo (semel enim hanc veniam accepi) Cur Mat. 27: 46. legitur ἠλί, ἠλί, λαμὰ σαβαχθανί. Videbatur legendum Ἐλί, ἐλί, λαμμᾶ ἀζαβθανί. Tzere non sonat η. sed ε. Latinum. deinde σαβαχθανί non est עזבתני. Ista vocum pronunciatio videtur magnum argumentum esse contra eos qui ex Origine et nescio quibus aliis introducere volunt alium modum legendi Hebraica, non per puncta vocalia sed per solas literas, et volunt א esse cametz sive patach ה quod nunc est tzere vel sægol et ita porro. Hoc enim si verum esset, legendum erat non ἠλί sed ἀλί &c. Id nunc addo, quia cum essem Hagæ Comitis hanc esse opinionem docti cujusdam hominis ex sermonibus ejus audivi. Puto illius viri novum illo munus rev. tuam jam accepisse. non sine indignatione vidi in illo introduci te dicentem quæ non dicis. Qualia sunt illa de verbo Dei quod adversario semper in mundo fuit et similia. Deinde Actor. 4: 16. an τὸ [illegible] sit vitium librariorum, an nostræ ignorantiæ, quia non intelligitur, nusquam in libris à rev. Tua editis reperire potui. Tam mira quidam hic comminiscuntur ut ipsi errare malint, quàm librariorum errore confiteri. quamvis neque hoc satis tutum sit. D. Coorte et D. Boudaan egregie partes suas tuentur in docendo, uterque rev. tuam plurimum salutat. Salutem oro meis verbis dicas D. Cognato filio, et si copia dabitur, doctissimo D. Vanderhagio, quem virum etiam sic multi mecum admirantur. D. Anslarium patrem nuper hic vidi, et incolumes esse per Dei gratiam liberos, qui utrique vestrum communes sunt, libenter audivi. Mater mea Rev. Tuam et D. Uxorem et charissima pignora mecum ex animo salutant. Vale, vir celeberrime (atque tam familiariter tecum loqui audeo) et me ama

uit te laten.

Rev. Tuæ

penitus addictum

B. Somerum

Vlissingæ a. d. xvi. Januarij. Ao. cIↄ.Iↄc.lxvi.

Responsum est in Epistolâ CCX. antè editâ.

Clarissimo et cele
berrimo Viro
D. Joanni Coccejo
S.S. Theologiae Do-
ctori et professo-
ri
Lugdunum
Batavorum
amico meo

inclusi his literas ad D.
Davidem Coorts, quibus
gratias ago pro corbe ...
... eorum. Curo
cura ut eo reddantur.

Lugd ...

dum bibliotheca catalogus novorum ...
Horum omnia faustis nobis etc. Vale. Lugd. d. 21 Decemb.
Vester
21.